

si tener pleno cadit haedus anno, 5
 larga nec desunt Veneris sodali
 vina creterrae, vetus ara multo
 fumat odore.

ludit herboso pecus omne campo, 10
 cum tibi Nonae redeunt Decembres;
 festus in pratis vacat otioso
 cum bove pagus;

inter audacis lupus errat agnos, 15
 spargit arentis ubi silva frondis,
 gaudet invisam pepulisse fossor
 ter pede terram.

19

Quantum distet ab Inacho
 Codrus pro patria non timidus mori
 narras et genus Aeaci
 et pugnata sacro bella sub Ilio:
 quo Chium pretio cadum 5
 mercemur, quis aquam temperet ignibus,
 quo praebente domum et quota
 Paelignis caream frigoribus, taces.

A(a) BERΛIΨ

18. 7 creterrae (*v. Clausen, CQ 13 (1968), 855 sqq.*) ΨλI P:
 craterae ABEROX 12 pagus (OX)] pardus A var. R(ξ)δ var.
 πφψ 14 arentis (*Cornelissen*) ubi *L. Müller*: agrestis (-tes) tibi
codd.

19. 2 pro patria non timidus (*P^l Victorin. GL 6, 175*)] non t-
 pro p-Ψ 4 sacro (P)] -ρα π

da lunae propere novae,
 da noctis mediae, da, puer, auguris 10
 Murenae; tribus aut novem
 miscentor cyathis pocula commodis.

qui Musas amat imparis,
 ternos ter cyathos attonitus petet 15
 vates. tris prohibet supra
 rixarum metuens tangere Gratia

nudis iuncta sororibus.
 insanire iuvat: cur Berecynthiae
 cessant flamina tibiae?
 cur pendet tacita fistula cum lyra? 20

parcentis ego dexteras
 odi. sparge rosas; audiat invidus
 dementem strepitum Lycus
 et vicina seni non habilis Lyco.

spissa te nitidum coma, 25
 puro te similem, Telephe, Vespero
 tempestiva petit Rhode:
 me lentus Glycerae torret amor meae.

20

Non vides quanto moveas periclo,
 Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
 dura post paulo fugies inaudax
 proelia raptor,

A(a) BERΛIΨ

12 miscentor *Rutgers (B)*: -tur *codd.* P^l: misce tu *Campbell*
 27 Rhode (P^lOX)] chloe *vel sim.* ΨI var.